

Sed loca tranfactis cum tempore reddito rebus,
Mox nova lectori fulserit orta dies.
Mente caret, quisquis numerandi despicit artem,
Cui confusa magis, quàm benè juncta placent. //
Hac opus est in pace domi, nec iturus in hostem,
Hac aciem rectè Dux struit arte carens.
Hæc ars mensuram cœli, terræque, marisq;
Omneque mechanicum prima gubernat opus.
Quin etiam demissa polo Doctrina salutis,
Nî benè dinumeres secula, lucis eget.
Nemo colit reliquas, quin hanc quoq; diligat, artes, //
Ceu docet exemplum, Vir reverende, tuum.
Nam, SISMUNDE, tibi præclara Logistica cordi est,
Das igitur numeris acta vetusta suis.
Unde petens lector monumenta juvantia vitam,
Prudenter curam discat habere sui.
Sunt etenim libris collecta exempla probatis,
Commoda consiliis, moribus apta bonis.
Omnia quæ numeris discreta tenacius hærent,
Quàm si vulgari sint memorata stylo.
Ars mira, ex cumulo quæ tam multiplice rerum,
Propositum duplici conficit omne via.
Calculus adjectus summæ, vel ademptus adornat,
Tàm sapiens studij nobilioris opus.
Perge, favente DBO, similes tractare labores,
Utq; diu possis, tardius astra pete.

NICOLAUS STEINBERG
Vratislaviensis.

Eine